

www.e-rara.ch

Caroli Sigonii historiarum de occidentali imperio libri XX. ...

Sigonio, Carlo

Francofurti, 1593

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RI 49 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25378>

Liber XI.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER XI.

B E R X I.

10 **R**OMANAM cladem miserabilis Italiæ vastitas, continua Galliæ, atque Hispaniæ bella, ac noua demum barbarorum in vtraque prouincia regum imperia exceperunt. Quibus de rebus, licet memorabilibus, deinceps aliquanto, quàm adhuc fecimus, scribemus exilius, nimirum opportuno Zosimi, qui historiam suam in proxima Urbis obsidione finiuit, auxilio destituti, neque interim idoneis vllis rerum gestarum annalibus, sed nudis plerumque Chronicorum indicibus subleuati. Quod prædictum volui, ne quis posthac in hos incidens libros me iusto negligentior in colligendis, atque enarrandis reliquis Honorij rebus argueret, & inertix, quod fuit necessitatis, adscriberet. Itaque
20 si minus illam assequi laudem poterimus, vt pleniore oratione acta singula exponamus, at hanc saltem parere contendemus, vt collatis diligenter temporibus, suis quæque annis summa cum fide reddamus.

ALARICVS Vrbe capta, & spoliata egressus animum inde ad vltiorem populandam, vastandamque Italiam contulit. itaque Latium, Campaniam, Apuliam, Lucaniam, & Calabriam ita cum toto exercitu peragravit, vt locum nullum intactum à vexatione, ac direptione reliquerit, atque in primis, quasi Romana victoria efferatus, in ecclesias, sacerdotes, episcoposque extorquendi auri gratia debacchatus simul omnia humana, diuinæque iura polluerit. Non nominabo singula oppida, quæ propterea ille subuertit, quòd eorum cum annalibus
30 memoria prorsus exciderit. Nolum tantum in Campania deletam, & episcopum eius Paulinum, cuius supràmentio facta est, captum non silebo. de quo sic in primo de ciuitate Dei S. Augustinus: *Paulinus noster, Nolanus episcopus, quando & ipsam Nolam barbari vastauerunt, cum ab eis teneretur, sic in corde suo, vt ab eo postea cognouimus, precabatur; Domine non excrucior propter aurum, & argentum. vbi enim sint omnia mea, tu scis.* Honorius reliquum anni Rauennæ confecit, suspenso animo, quoniam Alarici furor esset euasurus, expectans. atque inde ad Palladium præfectum prætorio VII Idus Augusti de Attalo tyranno sublato sic scripsit: *Republ. tyrannidis iniuria liberata criminum reos relaxari præcipimus.* & VII Kalend. Septembris ad Heraclium Comitem Africæ de puniendis hæreticis. Constantinus in Galia, cum Constantem filium diademate decorasset, pro Cæsare Augustum appellauit, ac præfecturam prætorianam Apollinari ereptam ad alterum transtulit. mox spe inani elatus, se posse Italiam occupare, ab Ellobicho Honorij præfecto tacite accersitus Alpes superauit. verum ad urbem Veronam progressus, cum Padum transmissurus esset, inopinata morte Ellobichi audita, statim conuerso agmine retrocessit. Honorius, cum ex solemni itinere quodam se reciperet ea re comperta, lætus repente ex equo se deiecit, gratias Deo agens, quòd se occulto insidiatore domestico liberasset. Postero anno, quo Theodosius Augustus quartum consul
40 sine collega fuit, Alaricus, direpta per multos menses Italia, Siciliam, quæ Italiæ adhæret, petere statuit. Ob id progressus Rhegium, exercitu in naues imposito, cursum eò intendit. verum aduersa tempestate reiectus, propositum tenere non potuit. itaque sædo naufragio conflictatus se rettulit in Calabriam. Eo vero vbi venit, Consentiam validam urbem imperata facere detrectantem nactus admoto exercitu circumfedit, ac demum etiam expugnatam diripuit. Dum autem ibi moratur, de rerum gerendarum ratione consultans, ecce repentino morbo opprimitur, atque in summo blandientis fortunæ articulo paruo horæ momento extin-

guitur. Quo casu Gotthi exanimati primum tantum amissum regem misere defle-
 uerunt; deinde iusta more suo cadaueri, quàm amplissima persoluerunt; ac de-
 mum sepulturæ occultandæ causâ iustam Italorum, quos is læserat, iracundiam
 veriti, opus insigne moliti sunt. quippe Busentum amnem oppidum ipsum præ-
 terfluentem magno militum labore alio auerterunt, ac locum sepulchro in medio
 alueo suffoderunt. atque ibi cadauere cum multis opibus condito, deinde amnem
 suo ire flumine permiserunt. & ne locum quis scrutari sepulturæ posset, captiuos,
 qui notasse illum oculis poterant, occiderunt. Inde comitiis sufficiens regi ha-
 bitis, omnium suffragiis Ataulfus vxoris Alarici frater ad id fastigium est elatus. Is
 regis insignibus exornatus primum omnium vxorem sibi despondit Placidiam, 10
 Honorij Augusti sororem, mulierem forma, moribus, prudentiâque insignem.
 tum conuersis signis è Calabria Romam versus redire contendit, eo animo, uti-
 psam vix à clade pristina resurgentem rursus inuaderet, neque Alarici exemplo di-
 reptam relinqueret, sed occupatam sibi ascisceret, ac pro Roma Gotthiam appel-
 laret, dira quadam libidine delendi Romani nominis inflammatus. verum mox
 precibus, & voluntate Placidia sponæ id ipsum penitus auersantis, ac prope, tan-
 quam ominosum aliquid, detestantis, commotus, cui omnia, quæ postulabat, sum-
 mo animi studio indulgebat, statim eo consilio destitit. ac proximo Alarici fœde-
 re stare, id est, Italia relicta, Galliam adire constituit. Quæ dum aguntur, Hono-
 rius, Vrbe cum pontifice Innocentio repetita, Vicennialia vno anno anticipata per- 20
 egit, credo, ut mœstam ex accepta calamitate ciuitatem sacro aspectu suo, atque
 Augustalis aula præsentia, & hilari solemnis ludicri lætitia recrearet, atque in spem
 fortunæ melioris erigeret. mox, curis omnibus ad Constantinum Gallia extur-
 bandum, hominem, vt res declarauerat, inquietum conuersis, Constantium Co-
 mitem, virum summo loco Romæ natum, ac manu, consilioque præstantem, ma-
 gistrum vtriusque militiæ fecit, & cum firmissimo militum robore in Galliam de-
 stinavit. Sub Ataulfi vero reditum, lubricam barbari hominis, licet affinis, fidem
 veritus Rauennam, vt tutiorem in locum, repetiit. & cum Romani interim vrbi
 instaurandæ, Innocentius ornamentis ecclesiarum restituendis, omnes dignitati
 pristinae reuocandæ se tradidissent, inde 11 Kal. Decembris ad Bonosianum præ- 30
 fectum vrbis scripsit, ne quid ex iis, quæ instauratiõni, ornatibusque singulis depu-
 tasset antiquitas, vllius colore occasionis pateretur auferri. Ataulfus autem, paca-
 to agmine per Picenum, & Flaminiam repetens, demum ad Forum Cornelium in
 Æmilia substitit, atque ibi demum nuptias cum Placidia celebravit. ad quas ho-
 nestandas Honorium quoque inuitatum Rauenna, propinqua inde vrbe, acces-
 sisse, videtur vero simile. Per eosdem dies Gerontius ex Hispania cum firmissimo
 exercitu aduersus Constantinum in Galliam mouit. Qua re accepta, Constanti-
 nus Constantem filium Viennam tenere, atque ibi se confirmare præcepit. Edo-
 beccum autem ad accersenda Francorum, & Alemanorum auxilia misit. Geronti-
 us Pirenæum transgressus, primum castra Viennæ admouit, atque oppidum a- 40
 cri vrgeri oppugnatione contendit. quo haud magno momento potitus, Const-
 tantem in potestatem adductum vita exiit. Inde, cum ad Arelate duxisset, Const-
 tantinum exercitu circumfuso obsedit. Neque ita multo post Constantius cum de-
 lectu valido ex Italia ab Honorio missus aduenit, ac castra item ad Arelate locauit.
 Quod vbi Gerontij milites cognouere, protinus ad eum plerique accessere, vs-
 que adeo vt Gerontius de se sollicitus cum paucis fugam in Hispaniam arripere sit
 coactus. Ita Constantius cœptam Arelatis è Gerontio obsidionem continuauit.
 Ibi, cum Edobeccum magna cum Francorum, & Alemanorum caterua aduenien-
 tem audiret, haudquaquam, quin ei occurreret, sibi dubitandum putauit. Ita-
 que statim Vlphilam præfectum suum cum firma militum manu præmisit, atque 50
 ipse subsequi cum altera cepit. Vlphilas, insidiis in itinere positis, Edobeccum cum
 omnibus copiis præterire permisit. inde, vt compositum fuerat, ipse à tergo, Con-
 stantius à fronte se obtulit. Ita omnes in medio cæsi. Edobecco fugienti caput ab
 hospite, cuius opem implorauerat, est abscissum, ad Constantiumque delatum.
 Qua re accepta Constantinus iam per quatuor menses obsessus Imperio se abdicauit,

uit, ac templum ingressus muniendi capitis sui causa presbyteri gradum accepit. Quibus rebus adducti Arelatenses iureiurando de incolumitate accepto patefactis portis Constantium receperunt. Ille urbem ingressus Constantinum cum altero filio Iuliano redegit in potestatem, atque in Italiam ad Honorium iussit deduci. Quod ubi Honorius didicit, satellites obuiam misit, qui ad amnem Mincium nacti caput ei à ceruicibus reciderunt. Britannica iuuentus, quæ cum Constantino ex insula excesserat, variis casibus afflictata domum non rediit. Imperium Romanorum posthac in Britannia nullum fuit. Ceterum maturandæ Arelatensium deditioi causam attulit Iouinus vir nobilitatis, ac potentiæ singularis. qui coacta

10 insigni popularium manu Augustalia inter Aruernos insignia cepit, ac Francis, Burgundionibus, Alemanisque ascitis Constantio se aduersarium tulit. In Hispania milites postquam Gerontium rebus abscessis rediisse viderunt, concursu facto domi circumfoderunt, ac strenue se cum paucis seruis defendere molientem igne tectis iniecto eò desperationis adegerunt, ut post familiarē suum Alanum, & Nonnichiam uxorem occisam sibi manum intulerit, ac pectus gladiolo hauserit. Hæc in Gallia, & Hispania gesta in hunc annum à Sozomeno, Prospero, & Marcellino produntur, dum Vandali, Alani, & Sueui vltiorem Hispaniam, Maximo tyranno citeriorem obtinente, vexabant. Interim Romani, qui infesta Alarici in urbem irruptione salutem sibi enauigando quæsiuerant, per maritimas prouincias diffi-

20 pati fœda omnia exilij incommoda pertulerunt. inter quos Proba matrona, de qua diximus, extrema in Africa passa est. Vnde D. Hieronymus scripsit ad Gaudentium: *Proh nefas! orbis terrarum ruit, in nobis peccata non ruunt. urbs incluta, & Romani Imperij caput, vno hausta est incendio. nulla est regio, quæ non exules Romanos habeat. in cineres, ac fauillas sacra quondam ecclesie conciderunt, & tamen studemus auaritia.* item in principio tertij in Ezechielem: *Quis crederet, ut totius orbis extructa victoriis Roma corrueret, ut ipsa suis populis & mater fieret, & sepulchrum? ut tota Orientis, Aegypti, Africa littora dominatricis urbis seruorum, & ancillarum numero complerentur, ut quotidie sancta Bethleem nobiles quondam vtriusque sexus, atque omnibus diuitiis affluentes susciperet mendicantes. quibus quoniam opes ferre non possumus, condolemus, & lacrymis lacrymas*

30 *iungimus.* Eodem anno Hunni ex Scythia in Asiam erupere, atque inde pleni præda sese in Thraciam rettulere. Quam cladem idem in epitaphio Fabiolæ sic expressit: *Ecce subito post Romam à Gotthis captam discurrentibus nunciis Oriens totus intremuit. ab vltima Maotide inter glaciale Tanaim, & Massagetarum immanes populos, ubi Caucasirupibus immanes gentes Alexandri claustra cohibent, erupere Hunnorum examina, quæ perniciousis equis huc, illucque volitantia, cedis, ac terroris cuncta complerunt. aberat tunc Romanus exercitus, & bellis civilibus in Italia tenebatur. insperati vbique aderant, & famam celeritatis vincentes, non religioni, non dignitatibus, non atati parcebant, non vagientis miserebantur infantia. cogebantur mori, qui nondum viuere cœperant, & nescientes malum suum inter hostium manus, ac tela ridebant. consonus inter omnes rumor, petere eos Hierosolymam.*

40 Probabile autem coniectura est, eisdem, cum ex Asia se in Thraciam recepissent, mox sese in Pannoniam effudisse. Etenim, quod constat, Gotthis ex Illyrico profectis Hunni successerunt, atque in primis Pannoniam tenuerunt. neque enim Honorius viribus ad resistendum in tantis difficultatibus destitutus, prorsus eos prohibere potuit, sed meliore consilio, animo ad pacem conuerso, fœdus cum eis, datis, acceptisque obsidibus, fecit. ex quibus, qui dati sunt, Aëtius, qui etiam Alarico tributus fuerat, præcipue memoratur. In Oriente Theodosius Augustus annum ætatis agens vndecimum, Imperij vero decimum Constantinopoli decennia celebrauit. Sequenti anno, Honorio nonum, & Theo-

412

50 *dosio quintum consulibus, Ataulfus tandem cum omni Gotthorum exercitu Italia cessit, atque in Galliam transgressus, sedem Narbone, atque in proxima regione sibi, & Gotthis suis ex fœdere, Constantio concedente, locauit. Quo facto, Honorius Romam repetiit, ac lætus, tanquam exonerata aliquando tandem incumbentium Gotthorum mole Italia, secunda vicennalia ludorum apparatu magifico edidit, populo Romano post diuturnas tenebras lucem se tandem aliquam otij, ac libertatis aspicere gratulante. Arelatenses Heroem S. Martini discipulum*

singularis innocentiae episcopum vrbe depulerunt, atque ei Patroclum Constantij amicum ad promerendam gratiam subrogarunt. quae res maximas post exciuit inter episcopos turbas. Is tyrannorum reliquias persequens, exercitum aduersus Iouinum adhuc sibi repugnantem adduxit. ac praelio valido victum tandem ex Gallia abire coegit. Inde Sebastianum fratrem eius, cum eadem moliretur, aggressus, vita exiit, atque vna Decentium Rusticum praefectum ex primicerio notariorum Iouini, multosque praeterea nobiles apud Aruernos cepit, atque vltimum supplicium sumpsit. vt Frigeridus rettulit, cui Marcellinus assensit. inde in Hispaniam transgressus, Maximum, qui se in citeriore prouincia pro Imperatore gerebat, bello petitum expugnauit. verum quia humilitas hominis nullam excitare inuidiam poterat, captum dimisit. atque ita citeriore Hispania ad ius Honorij, obsequiumque redacta, in Galliam se recepit. In vltiore autem barbari, ne armis inter se de partae possessione terrae contenderent, subactas prouincias in sortem coniecerunt. Vandalis, & Sueuis Callaetia euenit, Alanis Lusitania, Turcilingis Baetica. atque ita eas suis quisque subiecti regibus tenuerunt. In Africa vt pax Ecclesiae Catholicae restituta est, iussu Honorij, & opera Marcellini tribuni, hominis eximia prudentia praediti, sic Heracliani Comitum temeritate otium in prouincia perturbatum. etenim propter defensam aduersus Attalum prouinciam consulatus honorem in insequentem annum adeptus, adeo superbia est elatus, vt aduersus Honorium cum Sabino genere coniuraret. Quare incensus Honorius, ipsum cum suis hostem pronunciauit, atque ita III Nonas Iulias ad prouinciales Africae scripsit: *Heraclianum hostem publicum iudicantes digna censuimus auctoritate puniri, vt eius rescantur infausta ceruices eius* 20

413 *quoque satellites pari intentione persequimur.* Itaque proximo anno Lucianus solus consulatum administravit, quod Heraclianus propter coniurationem dignitate spoliatus non iniuit. Ille vero postquam se damnatum audiuit, dolore victus classem maximam, atque ornatissimam comparauit, eamque infestam Latij littoribus intulit. ac Romae maximum, si quando vnquam aliam, terrorem incussit. Verum simul atque in littus egressus cum agmine militum ad urbem ire perrexit, occursum Marini Comitum cum valido se Romanae iuuentutis robore obiectis exterritus, repente in fugam se dedit, & arrepta nauicula solus Carthaginem rediit. atque ibi mox 30 militari manu, tanquam tyrannidem affectans, oppressus, interiit. Sabinum generum, cum Constantinopolim aufugisset, retractum inde Honorius in exilium egit, atque his rebus exacerbatum III Nonas Decembris decreuit, vt Heracliani nomen ex omnibus publicis, & priuatis monumentis aboleretur, delerenturque omnia, quae sub eo gesta esse dicerentur. Marinum etiam in Africam profectum prouinciam constituisse significauit Orosius, cum scripsit: *Marcellinum tribunum, qui Ecclesia Catholica pacem reddiderat, Marinus Comes, incertum zelo stimulatus, an auro corruptus, occidit, qui continuo renocatus ex Africa, factusque priuatus vel ad poenam, vel ad poenitentiam conscientiae suae dimissus est.* Tyrannis profligatis, Vandalis pulsis, Gothisque Imperio Romano pacatis, restabant Burgundiones, qui prioribus annis 40 cum Vandalis in Galliam se contulerant, neque cum eis in Hispaniam transmigrarent. Hos igitur ad integram laudem liberatae Galliae comparandam deinde sibi adoriendos Constantius arbitratus est. Burgundiones autem, cum se infirmis ad resistendum opibus intelligerent, bellum auersati pacem poposcerunt. Quos Constantius & ipse, ne in aliquam forte belli difficultatem incideret, qua gloriam rerum gestarum corrumperet, libenter in amicitiam recepit, atque, sedibus ad Rhodanum assignatis, foedere illigatos dimisit. Quod vbi Franci cognouerunt, animo vehementissime perturbati sunt. atque aegre ferentes, Burgundiones non maximis opibus homines prope nullo negotio quietas in Gallia sedes adeptos, quas ipsi tam multis impressionibus factis obtinere non potuissent, repente collecto exercitu, 50 Marcomere, vt opinor, rege duce, Rhenum transmiserunt, ac praeter cetera oppida urbem Treuitorum, tum prouinciae caput, iterum ceperunt, captamque cum diripiissent, subdito incendio combusserunt. Grauis vero praeter ceteras haec ei ciuitati incurio contigit. nam, vt scripsit Saluianus, quos hostis in excidio non peremit, eos post excidium calamitas obruit. siquidem alios impressa altius vulnera lentis

morti-

mortibus enecarunt, alios ambustos hostium flammis grauis pœna cruciavit. quidam interierunt fame, quidam nuditate, alij tabescentes, alij rigentes. iacueruntq; passim vtriusque sexus cadauera nuda, lacera, ciuium oculos incessantia, ab auibus, canibusque dilaniata. Constantius autem in hoc rerum articulo codicillis Honorij patriciatum, & consulatum adeptus, Romam reuertit. Locum eius Castinus Domesticorum Comes obtinuit. qui, expeditione in Francos suscepta, in Galliam citato itinere properauit. ac Constantio, Constanteque consulibus, multis præliis prospere factis, oppida occupata eos relinquere, atq; trans Rhenum se conferre coegit. Dum autem ille bello Francico fuit occupatus, rex Gotthorum Ataulfus discordiæ semina cum Honorio quærens, Attalum, quem secum ex Italia duxerat, ad resumenda Augustalia insignia incitauit. Qua re ille pro insita ingenij leuitate perfecta, haud contemnendam hominum manum rebus nouis studentium comparauit, atque aduersus Honorium se deintegro Imperatorem inferre non dubitauit. Quod vt Honorius audiit, Ataulfum ictum fœdus violasse interpretatus, bello persequendum, vt hostium suorum fautorem, decreuit. ac Constantium vnicum rerum suarum præsidium iterum in Galliam destinauit. & cum rursus hæretici Donatistæ Africam prouinciam perturbarent, aduersus eos sanxit. extant eius decreta duo ad Iulianum proconsulem Africæ missa. quorum vnum xv Kalend. Iulias, Rauennæ datum est; alterum III Kalend. Septembris, Romæ. Constantinopoli Theodosij soror Pulcheria, cuius potissimum prudentia Imperium regeretur, Augustæ dignitate ornata est. Honorio autem decimum, & Theodosio sextum consulibus, Constantius Arelate, vt bellum faceret Ataulfo, Gotthisque, progressus castra ad oppidum Narbonis admouit, seque urbem obsidione pressurum, nisi sibi Attalus dederetur, ostendit. atque Ataulfo id se facturum abnuente, acrem oppugnationem instituit. Quam vim vbi Ataulfus se sustinere non posse cognouit, Narbone constituit excedere, & cum suis in Africam transmigrare. ita eruptione ex oppido facta, ad littus conscendendi causa procurrat, verum, cum naues nullas, quod earum copiam Constantius præripuerat, inuenisset, Africa in præsens ommissa, in citeriorem Hispaniam, quæ ab Honorio tenebatur, inuasit, atq; Attalo secum incolumitatis causa deducto, in Tarraconensi Barcinonis oppidum occupauit. Ibi Attalus neglectus à Gotthis, demum per dolum captus est à quibusdam, & ad Constantium ductus. Quem vt ille vidit, gaudio elatus ad Honorium destinauit. à quo deinde in vincula traditus, ad triumphum post confectum bellum Gotthicum reseruatus est. Gotthos autem postquam in Hispaniam transisse Vandali cognouerunt, aduersarios sibi fore rati, omni ope, ne ibi essent, armis inferendis enixi sunt. ac statim ad Honorium legationem miserunt, qua sibi pro Romanis bellum illud depoposcerunt. verba legationis fuere: *Tu cum omnibus pacem habe, ab omnibus pacem accipe. nos nobis consligimus, nobis perimus, tibi vincimus. immortalis vero erit questus reip. tuæ. si vtriq; pereamus.* Procopius tradidit, Honorium cum Gunderico rege pepigisse, vt Vandali in Hispania sedes haberent, sed à maleficio, & iniuriis abstinerent, neq; annorū triginta præscriptione aduersus Romanos vti possent. Iam inde ab initio Placidia iniquo animo tulerat, Ataulfum maritum bellum cum fratre Honorio contraxisse, sæpiusq; de reconcilianda concordia, Attalo ipso dedendo, contenderat, neq; æqui aliquid obtinere potuerat. postquam autem Attalū in potestate esse Honorij audiit, rursus summis ab eo precibus petere institit, vt pacem cum fratre redintegraret, quo cum primū fœdere iunctus, deinde affinitate fuisset. neq; id vxori tam iusta roganti homo in primis vxorius denegauit. Gotthi vero, quibus bellū pace erat acceptius, postquā Ataulfum ad pacē eam animo propendere viderunt, quam non solum rebus suis inutilem, sed etiā nomini deformem existimarent, ipsum Barcinone per fraudem interemerunt. atq; ei, quod filios non haberet, Sigericū regē substituerunt. Inde postero anno Theodosio Augusto sextū cum Palladio consule, Sigerico item, quod ad pacē inclinaret, extincto, Valliā suffecerunt. Ille vero, Ataulfi consilio de traiectione Africana probato, armis, nauigiisq; instructus ad fretum Gaditanum perrexit, vt, breui illo spacio maris transmissio, Mauritaniam oppositam obtineret, ac nauibus conscensis eo cursum direxit.

verum sæua subito tempestate coorta, ac fœdo naufragio factò repulsus inceptum, tanquam ominosum, omisit, aduersa Alarici in Siciliam transmissione deterritus, ac de compositione & ipse cogitare instituit. Itaque Constantio exercitum in Hispaniam contra eum ducenti sese ad Pirenæum obuium tulit, ac pacem per legatos suppliciter petiit, spondens, se Placidiam, quam honeste apud se habebat, redditurum, obsidesq; in fidem daturum, si sibi contra quoque nobiles ex Gallia traderentur. & si in Hispania se considerare paterentur, pro Romanis assidue aduersus Vandalos pugnaturum. Quas condiciones Constantius libenter accepit, ac Placidia, obsidibusque receptis, atque inuicem datis, Auito Aruerno, qui post Imperauit, sese interponente, fœdus cum Gotthis nouum percussit. Atq; huius ¹⁰ quidem rei præter Prosperum, & Iornandem Sidonius quoq; his temporibus proximus meminit, vbi de Auito loquitur, qui cum Constantio militauit:

variis incussa procellis

*Bellorum, regi Getico tua Gallia pacis,
Pignora iussa dare est. inter qua nobilis obses
Tu Theodore venis.*

Addit inde, Auitum ipsum adeo iucundum fuisse Valliæ regi, vt eum ad se traducere tentarit non aliter, ac Pyrrhus quondam Fabricium. idq; beneficium ab Auito esse repudiatum. Atque hic quidem primi Gotthici in Gallia belli exitus fuit. Honorius Kal. Martiis Rauenna ad ipsum Constantium, quem Comitem, & Patricium vocat, sic scripsit: *Sub clade barbarica depopulationis si qua aut per fugam, aut per congregationem infelicium populorum indigne, inuidiosèq; commissa sunt, ad inuidiam placatarum legum à callidis litigatorum obiectionibus non vocentur.* Constituta inde prouincia, Constantius Romam decessit, ac Placidiam ad Honorium, re bene gesta, reduxit. Eorum vtrunque Honorius eximia animi alacritate recepit. præcipue vero Constantium, cuius virtute & dignitatem retinuerat, & Galliam liberauerat, duplici affecit honore. nam & consulem iterum designauit, & sororis Placiðiæ matrimonio decorauit. Innocentius pontifex post cladem Romanam ecclesias vrbs reparare conatus hoc anno Decentium episcopum Eugubinum ab institutis ecclesie Rom. se remouentem epistola XIII Kal. Aprilis scripta increpuit, in qua hæc ³⁰ verba posuit: *Quis nesciat, aut non aduertat, id quod à principe apostolorum Petro Romane ecclesie traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari, nec super induci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum, præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasq; interiacentes nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos venerabilis apostolus Petrus, atq; eius successores constituerunt sacerdotes?* His actis Honorius lætus, quòd Italiam, Galliam, Hispaniamq; prouincias, tyrannis deletis, barbarisq; compressis, ⁴¹⁷ pacasset, vndecimum cum Constantio iterum consul iniuit. ac Romam regressus, magno apparatu, atque insigni pompa urbem de Gotthis, & Attalo tyranno triumphans intrauit, Attalum ipsum vincis post terga manibus ante currum ducens. ⁴⁰ quem, peracta de more pompa, truncata in pœnam repetitæ perfidiæ dextera, Liparas relegauit. In Hispania Vallia rex Gotthorum non solum vt promissa Honorio præstaret, sed etiam vt præda populum suum augetet, latiusque ditionis suæ fines produceret, Vandalos, & Alanos, sociosque eorum armis adortus est. Res maximè ad Tartessum, & Calpem extrema Lusitaniæ oppida gestæ. quarum meminit Sidonius in Anthemio, loquens de Ricimere Valliæ nepote, & Genferico Gunderici regis Vandalorum filio:

simul & reminiscitur illud,

*Quòd Tortestiacis auus huius Vallia terris
Vandalicas turmas, & vincti Martis Alanos
Strauit, & occiduum texere cadavera Calpen.
Quid veteres narrare fugas, quid damna priorum?
Argant honini recolit dispendia campi.
Inde furit, quòd se docuit satis esse nepotem
Illius esse viri, quo viso Vandale semper
Terga dabas.*

Ex qui-

Ex quibus intelligitur, quàm formidabilis Vandalis Vallia fuerit, & quàm non semel eos oppugnarit, atque in fugam compulerit. Huic bello Constantium etiam interfuisse Iornandes ostendit, qui in Annalibus scriptum reliquit, Constantium hoc anno Fredibaldum Vandalorum ducem in prælio captiuum fecisse, atque ad Honorium transmisisse. Cum quidam Italiae episcopi solemnem diem Paschatis integro mensis spacio anticipassent, diuina virtute error eorum est patefactus. In vna enim ecclesia, aqua, quæ quotannis pridie Paschatis solebat diuinitus baptismi gratia fluere, eos, qui maturius, quàm oportuit, id est, v i i i Kalend. Aprilis pascha egerunt, non emanans elusit, legitimo autem die, qui erat futurus x
 10 Kalend. Maij ex more fluens, eo die pascha celebrari debere ostendit. Innocentio pontifice x Kalend. Augusti mortuo Zosimus ex Cappadocia presbyter suffectus, quem diu acriter quæstio suborta de paschate fatigauit. Sequenti anno Honorio x i i, & Theodosio v i i i consulibus, v Nonas Iulias Placidia Rauenne puerum Constantio peperit, quem Valentinianum vocauit, eum, qui post Honorium Imperium in Occidente obtinuit. Constantius autem, & Vallia continuato in Lusitania bello Alanos, & Sueuos apud Emeritam acie superarunt. Sueuorum inde regem Ermenericum Gundericus rex Vandalorum orto inter populos dissidio prælio in Gallæcia prouocauit. xv Kal. Augusti sol insigniter obscuratus apparuit. Inde per Septembrem mensis stella crinita ab Oriente refulsit. v i i Kal. Ianuarij
 20 Romæ Zosimus pontifex mortuus. Eo sepulto, Monaxio, & Plintha consulibus, 419
 clerus comitiorum causa conuenit. verum dissentientibus animis alij in basilica Constantini, alij in basilica Iulij. atq; illi Eulalium archidiaconum, hi Bonifacium presbyterum sublegerunt. Quod vbi Placidia Rauennæ agens comperit, Honorium statim, qui Mediolanum decesserat, certiore fecit. Ille autem vsq; adeo eiusmodi dissidium improbauit, vt exemplo ambos vrbe exire præceperit. Egressi Bonifacius habitauit in cœmiterio S. Felicitatis martyris via Salaria, Eulalius vero in oppido Antijad S. Hermum. Vbi vero dies Paschatis venit, Eulalius in urbem iniussu Imperatoris reuersus baptismum in basilica Constantiniana confecit. Bonifacius vero, vt assolebat, in basilica S. Agnetis. Quo facto indignatus Honorius Eulalium vrbe expulit, ac Bonifacium approbavit. conuocatisq; Romæ episcopis ducentis quinquaginta duobus Bonifacio pontificatus adiudicatur, Eulalius vero episcopus Nepesinus esse iubetur. Extant litteræ Bonifacij ad Honorium Kal. Iulij datae, quibus rogat, vt operam det, ne posthac in legendo episcopo aliquid per ambitum fiat. in quibus hæc etiam inquit: *Angeretur ecclesia, nisi apud te suarum esset securarum, & nisi in oppressionibus idolorum, correctionibus hereticorum fides tua, diuino cultu pariter cum Imperio semper florere, vicisset. Habet refugium piæ mansuetudinis animum, cum tua religionis veneratione coniunctum, cum quidquid huic proficiat, vos agatis, & conferatis fratribus, & consacerdotibus meis, à me legatis.* ad quas Honorius sic rescripsit: *Ad notitiam clericorum omnium volumus peruenire, vt si quid forte, quod non optamus, religioni tua humana sorte contigerit, sciant omnes ab ambitionibus esse cessandum. at si duo contra fas temeritate certantes fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus sacerdotem, sed illum solum in sede apostolica permansurum, quæ ex numero clericorum noua ordinatione diuinum iudicium, & vniuersitatis consensus elegerit.* Eodem anno Concilium nouum Carthagine, ad quod Zosimus viuens legatos miserat Faustinum episcopum Potentinum, & Philippum, atq; Asellum presbyteros, kal. Iunij est conuocatum. vbi decreta de moribus ecclesie formandis facta sunt. simulq; à Bonifacio nouo pontifice postulatum, vt tabulas Concilij Nicæni ad se mitteret, quod in suis caput de prouocatione episcoporum ad Romanum pontificem non extaret. Vallia rex, vt notat Prosper, crebris Vandalorum nobilitatus victoriis laborum quasi suorum mercedem à Constantio postulauit, vt sibi in Gallia sedes restitueret, ac fœdus confirmaret. Cui Constantius ex Honorij auctoritate assensit, & sancito fœdere Aquitaniam ei secundam concessit, exceptis paucis urbibus, in primisque Biturica, & Aruerna, atque extra Aquitaniam Tolosam, quam ille sibi regni sedem asciuit. Ea pars Aquitanie post Vasconie nomine insignita est. Ita Gallia à tribus præcipue dominis hoc tempore est possessa, Romanis, Burgundionibus, & Gotthis. Romani omnia te-

nuere à Rheno ad Ligerim, exceptis Armorici ciuitatibus, quæ uſurpata libertate defecerant. Gotthi cis Ligerim, Burgundiones uſtra Rhodanum habitauerunt, ſed non omnia in poteſtate habuerunt, plerisque ciuitatibus adhuc in ditione Romanorum manentibus. Hispaniam uero citeriorem partim Gotthi, partim Romani; uſteriore ſerme Vandali cum ſociis poſſederunt. ex quo aſſiduorum certaminum cauſſæ ad exercenda Romanorum arma non defuerunt. Quod præmonuiſſe placuit, ne quis error ſequentia bella parum attente legentem inuolueret. Constantius filia auctus eſt, quæ Honoria dicta. Franci, ut notauiſſet Sigebertus, Marcomeri regi mortuo Faramundum ſubſtituerunt. Theodoſio inde IX, & Constantio III conſulibus, quem annum Chriſtiani numerabant quadringentefimum uiceſimum, Honorius, ſiue quòd filiis careret, quibus moriens Imperij relinquere curam poſſet; ſiue, quòd præſentia reip. tempora duorum Auguſtorum præſidio egere cenſeret, conſortem ſibi Imperij cenſuit aſciſcendum. &, cum oculos in omnes circuntuliſſet, quos propinquitate coniuñctos haberet, neminem habuit, quem uirtutis, & prudentiæ nomine Constantio Placidia ſororis uiro, præponeret.

CONSTANTIUS AVG.

HVNC igitur ſolemni pompa adhibita Auguſtum appellatum ſocium ſibi adheſſe Imperij, & curarum omnium iuſſit. inde Valentiniano puero eius Nobiliſſimi dignitatem impertiuit, &, ut moris erat, imaginem Constantij Auguſti Conſtantinopolim ad collegam Theodoſium miſit. Vallia rex, haud intermiſſo vexandi Vandali more, & hoc anno exercitum ex Aquitania aduerſus Alanos in Hispaniam duxit. atque eos tanta armorum mole inuaſit, ut illi, fractis deſperatione animis, regiam dignitatem dimiſerint, ac ſe Gunderico Vandalorum regi, ut ab eo tegerentur, ſubmiſerint. Reuerſus inde uictor Tolofam, fato ceſſit, ut ſcribit Iornandes in Annalibus. nam in hiſtoria regnum eius uſq; ad duodecimum annum perducit. Eo defuncto, Gotthi regnum ad Theodoricum detulerunt. Pridie Kal. Octobris Hieronymus Stridonienſis, præbyter Romanus, uitam reliquit, ac propter ſanctitatis, & doctrinæ magnitudinem inter Confeſſores, & magiſtros Eccleſiæ poſt S. Ambroſium eſt relatus. Quod Innocentius, & Zoſimus pontifices inſtituerant, ut Pelagium hæreticum, & ſocios eius inſectarentur, idem etiam Bonifacius magna diligentia præſtitit. De quibus ſic ſcripſit S. Proſper contra Collatorem: *Tunc Pelagianorum machina fractæ ſunt, quando Innocentius nefandi erroris capita apoſtolicomucrone percuffit. quando Pelagium ad proferendam in ſe, ſuosq; ſententiam Paſteſtinorum episcoporum ſynodus coartauit. quando Africanorum Conciliorum decretis Papa Zoſimus ſententiæ ſuæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteris omnium armauit antiſtidum. quando Papa Bonifacius piſſimorum Imperatorum Catholica deuotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei non ſolum apoſtolicis, ſed etiam regiis utebatur edictis. & quando idem, cum eſſet doctiſſimus, aduerſus tamen libros Pelagianorum beati Auguſtini reſponſa poſcebat.* Theodoſius autem, ubi Conſtantium ab Honorio Auguſtum appellatum accepit, omnino neque id factum probauit, neque imaginem eius accipere uoluit. cuius rei certior Constantius, Euſtaſio, Agricolaque conſulibus, factus, uſque adeo dolorem non tulit, ut ſexto poſt acceptum Imperium mense mæroris atrocitate confectus obierit. Extat reſcriptum titulo de repulſis cum præſcriptione trium Auguſtorum, Honorij, Theodoſij, & Conſtantij datum hoc anno Idibus Martiis Rauenna. idem duo altera cum præſcriptione tantum Honorij, & Theodoſij data VII Idus Iulias. ex quibus intelligitur, Conſtantium poſt mensem Martium deceſſiſſe. Eundem autem in Diuos relatum Valentinianus filius indicauit, cum poſt ſanxit, ut quæ à Diuo parente ſuo Constantio decreta eſſent, inuiolata manerent. Theodoſius Athenaidem Leontij philoſophi Athenienſis filiam Pulcheriæ ſororis commendatione ſibi matrimonio iunxit, uirginem cum forma, tum prudentia, uirtuteq; præſtantem, eamque Eudociam appellauit. In Perſide Iſdigerdem regem mortuum filius Barananes excepit, qui contra patris inſtituta aſperam Chriſtianorum perſequeutionem inſtituit. Quam rem Theodoſius

fuis sibi ferendam non arbitratus, arma parauit, atque, Ardabure duce, exercitum in Persidem misit. qui, Nisibi, vrbe diu obsessa, simulatque Barananem cum ingenti copiarum numero aduersus se contendere audiit, soluta obsidione, in fines Romanorum se rettulit. Honorius, cum bellum à Gotthis fortiter in Hispania cum Vandalis geri audiret, in spem eius prouinciæ recuperandæ adductus, Castinum magistrum militum, vt Gotthis auxilio esset, in Hispaniam destinauit, Bonifacio Comite Africæ illi adiuncto, vt cum classe ex Africa præsto esset, atque æquo cum Castino imperio bellum gereret. hos enim duces duos rei militaris peritissimos hoc tempore habuit. Hi vero proximo anno Honorio XIII, ac Theodosio X⁴²²

10 consulibus in Hispaniam cum copiis terrestribus, maritimisque profecti, arma eximia concordia intulerunt, ac multa strenue, prospereque fecerunt. Nam & Maximum, ac Iouinum, qui tyrannidem quondam inuaserant, & adhuc rebus nouis operam dabant, in potestatem adduxerunt, & cum Vandalis bene vno, atque altero prælio dimicarunt. Dissensio inde inter duces ex æmulatione gloriæ orta profus temp. perdidit. Castinus enim, cum Bonifacium non ducis, sed legati loco habere cœpisset, id diutius Bonifacius ferre non potuit, indignum esse obedire ei, cui par erat imperio, arbitratus. Itaque cum classe inde profectus, ad Portum Romanum applicuit, atque inde in Africam prouinciam suam se rettulit. Vandali inde, quos ducum Romanorum virtus, ac concordia prope ad vltimam desperationem adduxerat, redintegrato post Bonifacii profectionem bello, insignem Castini imprudentia victoriam, deletis Romanorum copiis, pepererunt. Eodem anno Honorius Romæ Imperii sui tricennalia celebrauit, ludis omnis generis regia magnificentia editis, ac tristem superioris calamitatis memoriam profus obliterare nouæ huius hilaritatis, ac pompæ lætitia studuit. Dum autem ludos, populo præsentem, spectabat, Maximus, & Iouinus quondam tyranni conspectui eius redditi eius ludicri gaudium cumularunt, omnibus bonum omen animo concipientibus, finem adesse ciuiliū seditionum, domesticarumque turbarum ex oblatis in tanta populi gratulatione tyrannis. vt enim maximo quisque prosperitatis desiderio flagrat, sic eius sibi cogitationes ex quacunq; occasione facillime fingit. Eodem anno Persæ,

30 magna clade à Theodosio accepta, pacem petierunt, eamque impetrauerunt. atque Hunni ex Scythia egressi, rursus Thraciam incurfarunt. Eudocia puellâ Theodosio peperit, quam Eudoxiam appellauit. Asclepiodoto inde, & Mariniano consulibus, Honorius Roma Rauennam profectus, in suspicionem venit, sororem Placidiam, Valentiniani Nobilissimi pueri matrem, secreta cum inimicis suis aduersus se consilia coquere. Quod cum illa sensisset, sibi, ac Valentiniano consulere cupiens, ab illo discessit, & Constantinopolim ad Theodosium properauit, eamque Theodosius pro dignitate suscepit. Honorius VIII Idus Augusti ad consules, prætores, tribunospl. & senatum Romanum de priuatis faciendis iudiciis scripsit, mox grauiissimo aquæ inter cutem morbo tentatus Romam se reuehendum curauit. ibique X VIII Kal. Septembris eo consumptus interiit. eius mortem crinita

40 stella per multos fulgens dies præcessit. Corpus iuxta basilicam S. Petri in Mausoleo repositum. Decessit, nullis liberis relictis, anno ætatis XLIII, Imperii vero post patris excessum XXI, vir in magnis reip. tempestatibus versatus, atque ad extremum saluo Imperio ex omnibus naufragiis, bene iuuante Deo, elapsus, vt D. Augustinus existimauit, quod Christum eximia pietate coluerit. memorabilis autem ob id, quod plurimis bellis ciuilibus circumuentus omnia prope sine insigni cæde sedarit, non minus domesticis hostibus, quàm externis, qui vno tempore omnes ætatis imbecillitate allekti eruperunt, appetitus, atq; vexatus. tantæ verò magnitudinis animi, vt corroborata ætate, cum se prodi videret, ne socero quidem, licet viro acerrimo, reip. caussa pepercerit. Hunc tamen non tam in aduersis rebus constantia illustrauit, quàm captæ primum sub eo Romæ infamia deformauit. Eo regnante in Pannoniam Hunni; in Hispaniam Vandali, Alani, Sueui, & Gotthi; in Galliam Alani, Burgundiones, & Gotthi certis sedibus permisis accepti.

50

RAVERNAM postquam Honorium vita excessisse perlatum est, Ioannes quidam, qui commentarios Honorij scripserat, consilium inuadendi per occasionem Imperij cepit. reque cum duobus summæ solertiæ, magnæque virtutis viris communicata, illis adiuuantibus Augustalia insignia sumpsit. ac statim siue ad referendam, siue ad promerendam gratiam alteri magisterium militum, alteri curam Palatij tribuit. Hi fuere Castinus, & Aëtius. Castinus in insequentem annum consul designatus fuerat, ex Hispania, vt diximus, paulo ante reuersus. Aëtij pater Gaudentius primoris in minore Scythia loci, militiam à domesticatu exorsus vsq; ad magisterij equitum culmen ascenderat. mater Itala, nobilis ac locuples fœmina. Aëtius ipse à puero prætorianus, tribus annis Alarici obses, deinde Hunnorum, post Carpilionis gener, ex Comite domesticorum curam Palatij gerere cepit. Horum igitur auxilio Ioannes Imperator declaratus primum omnium, quos suspectos habuit, è magistratibus depulit, atque alios sibi fidos, amicosque reposuit, mox, ne iniuste dominari, aut temere quæ aliena essent, vsurpare videretur, legatos Constantinopolim ad Theodosium misit, hoc sibi dari ab illo muneris petens, vt integra gratia sua Imperio Occidentali immatura Honorij morte vacanti præesset; se deuotum omne illi obsequium præstiturum. atque ex alia parte exercitum ad occupandam Africam destinauit. Theodosius Honorij mortem auditam per aliquot dies suppressit, ac militem Salonam in Dalmatiam, vt mature nouas res in Italia molientibus occurrere posset, præmisit, ac demum Honorium diem suum obiisse vulgauit. Vbi vero de Ioannis temeritate fama ipsa deferente audiuit, leuiter commotus hominem sibi contemnendū putauit. at, postquam venientium legatorum postulata cognouit, iracundia elatus illiberaliter habitos cum inclemente responso dimisit. qui ad Ioannem reuersi mandata Theodosij atrociter rettulerunt. Quibus cognitis, Ioannes bellum necessario sibi habendum esse perspiciens, extemplo Aëtium in Pannoniam cum ingenti auri pondere ad opportuna accersenda Hunnorum auxilia misit, qui erant ei noti, & familiari amicitia iuncti ab illo tempore, quo apud eos obses egerat, datis mandatis, vt, si Theodosij exercitus in Italiam contendisset, ipse à tergo instaret. nam se à fronte obuiam occurrerent. Aëtius in Pannoniam profectus, ferocissimas Hunnorum cateruas conduxit. Eodem anno obiit Bonifacius pontifex. cum clerus Eulalium reuocari, & Bonifacio substitui postulasset, Eulalius non sustinuit. ita Cælestinus diaconus, cuius Romanus est subrogatus. Postero, quo Castinus, & Victor consulatum gesserunt, Theodosius, vt Valentiniano sex annos nato, & Placidia matri amitæ suæ Imperium Occidentale conciliaret, quod ad eos iure hæreditario peruenire censebat, ac simul stolidam Ioannis audaciam frangeret, qui se non solum inuito, sed etiam inscio insignia Augustalia contrectasset, expeditionem Italicam comparauit. Itaque Constantinopoli profectus, cum Placidia, & Valentiniano Thessalonicam accessit. ibiq; eorum alteram Augustam, alterum Cæsarem declarauit. Inde Ardaburi duci, & filio eius Aspari dedit negotium, vt eos cum exercitu in Italiam reducerent, atque, Ioanne Rauenna depulso, in Imperio collocarent. Ardabures cum Placidia, & Valentiniano digressus, Salonam in Dalmatiam venit, atque ibi omne militare consilium expediuit. nam ipse, conscensis cum magna copiarum parte nauibus, Rauennam versus, vt Ioannem ex improviso adoriretur, iter intendit: Asparem vero, Placidiam, & Valentinianū cum altera terrestri itinere Aquileiam iussit contendere. Ac felici quidem conatu prima aggredientem haud ita multo post fortuna destituit. nam prospera nauigatione vsus, ad Italiam quidem appulsus est, verum sub excensionem sæuo repente suborto vento repulsus, licet obluctans, in oram Rauennatem eiectus est. vbi à militibus Ioannis accurrentibus captus ad illum continuo est deductus. Ioannes tanto duce præter omnem expectationem potitus, ingentem lætitiæ fructum cepit. &, quoniam pacem optabat, eamque ipso sequestre facile se adepturum sperabat, ipsum humanissime habuit, ac liberæ custodiæ tradidit. Interim Aspar, & Placidia cum Valentiniano Aquileiam adierunt, eamque

eamque ex improviso captam muniuerunt, felices Ardaburis successus, & salutaria mandata opperientes. Theodosio inde vndecimum, & Valentiniano Casare 425
 consulibus, Ardabures alieni colloquij copiam in custodia nactus, cum omnes, qui à Ioanne spoliati honoribus fuerant, tristes, ac male erga illum animatos animaduerteteret, in spem certam recuperandæ libertatis ingressus, per eos Asparem admoneri filium iussit, quem ipse casum subisset, & vt propius accederet, neque egregiam bene gerendæ rei occasionem omitteret, cum Ioannes, quasi confecta victoria, omnia studia militaria remisisset. Aspar, acceptis à patre litteris, sine vlla cûctatione solus Aquileia cum equitatu expeditissimo mouit, atq; in agrum Rauennatam tacitus prodiit. Inde, pastore quodam duce, per paludem, quæ vrbi adiacebat, antea quidem inuiam, sed tum Dei beneficio peruiam magno silentio ad urbem processit. ac, portis patentibus, vt in summa pace, inuentis, nemine non solum repugnante, sed ne sentiente quidem, intrauit. Tumultu inde ex nec-opinato armatorum introitu nato Ioannes excitus, repête, captis armis, occurrit, ac leue certamen, vt in magna omnium trepidatione, commisit. Verum à suis proditus, ac comprehensus mox ad Asparem est adductus. Aspar, insigni parta victoria, statim Ardaburem patrem custodia liberauit, & Ioannem ad Placidiam, & Valentinianum, quos Aquileiæ reliquerat, mari transmisit. Post tertium inde diem Aetius aduenit cum paratis Hunnorum auxiliis, ac prælium atrox cum occurrente Aspare 20
 edidit. sed mox de Ioannis clade, quam ignorabat, edoctus, haud vltra sibi conandum putauit. pactisque cum Aspare initis, Hunnos promissa mercede affectos, ne cladi essent Italiæ, haud grauate remisit. Placidia, postquam Ioannem captiuum in conspectum adductum vidit, ira elata hominem manu dextera iussit multari, atque in circum deuehi. ibi vero asino insidens cum omni contumelia circumductus, ac denique obtruncatus est, postquam per menses octodecim Imperium obtinuerat. Fuit autem vir hoc exitu indignissimus, siquidem, Procopio teste, ingenio miti, ac virtute singulari fuit. neque enim aut delatoribus aures adhibuit, aut cædem vllam iniustam fecit, aut denique pecuniæ causa quidquam patrauit. Theodosius, postquam litteris Asparis felicem rei Rauennatis exitum audiit, statim, Circensibus ludis, quos spectabat, omissis, in templum ad gratias Deo agendas processit, atque eo 30
 quoque vniuersum populum inuitauit. Inde, vt Valentinianum Augustum designaret, Aquileiam iter instituit, verum Thessalonicam prouectus, atque ibi morbo vexatus haud longius prodiit. verum mox per Helionem patricium insignibus ad illum Imperij missis, Constantinopolim repetiuit. Interim Valentinianus edicta multa ad nouum constituendum Imperium pertinentia edidit. nam ad Faustum præfectum vrbis xvi Kal. Augusti scripsit, vt omnem sectam Catholicis inimicam vrbe depelleret. & Basso Comiti rerum priuatarum, vt idem in aliis ciuitatibus faceret, viii Idus Augusti, præcepit. Quin etiam viii Idus Octobris ad eundem sic scripsit: *Priuilegia ecclesiarum omnium, quæ seculo nostro tyrannus inuiderat, prona deuotione reuocamus, scilicet, vt quidquid à diuis principibus constitutum est, vel quæ singuli 40
 quique antistites pro causis ecclesiasticis impetrarant, sub pœna sacrilegij ingi solidata aeternitate seruentur.* Rauennam inde cum matre profectus Idibus Octobris decreto Theodosij insignibus Augustalibus
 est ornatus.

R